

VII.

Jobum, cuius historia peculiari libro in
sacris describitur, eundem esse cum eo, qui
Gen. XLVI. 13. inter filios Isascharis memora-
tur, haud verosimile est.

VIII.

Sabbathi institutio solis Israëlitis facta est,
adeoque præceptum quartum ad leges cere-
moniales pertinet.

IX.

Esum sanguinis inter αδιαφορα numera-
mus.

X.

Ex loco *Matth. V. 33. seq.* male elicitur,
jusjurandum sub Oeconomia Novâ esse illici-
tum.



JACOBIDES, cœtus sacri spes maxima,
JACOBIDES, docti gregis spes optima!
O patriae surgens novum sidus meae,
O fulgidum crescens decus genti tuae!
Quem diligit Phoebus, colunt Libethrides,
Arcana cui Misnae patent, & avii
Vastae recessus Gemarae sunt pervii.
Tu, qui labores improbos menti ignae,

Ff

Menti